de

Homerico in Pana hymno.

Scripsit

Dr. Alb. Koehn.

Wissenschaftliche Abhandlung zum Programm

des

Gymnasiums und der höheren Bürgerschule

zu

Guben.

Druck von E. Fechner.

1876.

Observationes
de Homerico in Pana hymno.

In hymnis Homericis minoribus, qui vocantur, etiam hymnus in Pana scriptus numeratur. Uno ore viri docti hos hymnos prooemia esse contendunt, a rhapsodis Homericis composita et diebus deorum festis et sollemnibus ex more celebrandis Homeri aliorumque poetarum carminibus praemissa (cf. etiam Thuc. III 104). Bergkius litt. Gr. I pag. 748 non dubium esse dicit, quin recitatione carminum finita alia quaedam poemata minora, ἐξόδια ut dicunt, recitata sint, quamquam ea in hymnis in unum collectis non reperiuntur. Quae prooemia a posterioribus simul cum carminibus Homericis recepta iterum iterumque recitabantur. Quo factum est, ut vocabula et versus nonnunquam non accurate tenerentur, sed mutarentur atque ex memoria variarentur, itaque textus, ut ita dicam, librorum manu scriptorum incertus est et minime constat. Neque tamen omnium hymnorum eadem fuit fortuna et hymnus in Pana, undevicesimus auctore Baumeistero, quem in enumerandis hymnis sequimur, forma nobis tradita aliis multis praestat. Accedit, quod argumentum eius suavissimum permultum delectationis affert legenti. Res, quae hymnis continentur, variae sunt, alii breves preces continent, factas ad deum, cuius dies festus celebratur, alii res e deorum vita et consuetudine sumptas illustrant, alii denique, quos ut hymnum septimum in Dionysum et hunc genus quoddam medium inter priores illos esse, Bergkius hist. litt. Gr. I p. 748 adn. 22 non iniuria contendit, fabulam originis dei narrant. Sed ii quoque a deo laudando celebrandoque initium capiunt atque eodem redeunt. Quare consentientes Otfr. Muellerus litt. Gr. I p. 126 et Bernhardyus litt. Gr. § 53 adn. 3 dicunt, hymnos minores breves laudationes esse et preces, ut deus iuvet poetam recitaturum carmen festivum.

Cum rhapsodi, quorum erat carmina ex more instituto ludis Panathenaeis recitare, hymnos composuerint, totius dictionis et versus modus atque ratio sequitur exemplum magistri illius Homeri et quod Quintilianus dicit: „nemo eum in magnis rebus sublimitate, in parvis proprietate superat, quia ille idem laetus ac pressus, iucundus et gravis, tum copia tum brevitate mirabilis, nec poetica modo sed oratoria virtute est eminentissimus,“ non solum ad res pertinet, quae in carminibus post Homerum contextis tractantur, sed etiam ad eorum vocabula, leges grammaticas et metricas. Quas regulas poeticas observare poetis cum antiquis, imprimis epicis, tum omnium temporum summae est laudi. Sed quamvis magni auctoritatem Homeri faciamus, tantum abest, ut hymnorum auctores in verba magistri iurasse atque totum eum descripsisse contendamus, ut eos simul ex aliis fontibus hausisse censeamus, e sermonis consuetudine temporis, quo viverent, e poetarum aliorum operibus, ex ingenio, quod eos impelleret, ut licentia poetica usi verba novarent, notiones et constructiones verborum, alia mutarent.

Sic hymni Homerici, qui omnes sunt temporis post Homerum quamvis diversi, similem quandam habent tenorem, ut aiunt, dictionis et versus, sed restant diversitates et proprietates non propriae carminum singulorum. Non omnia a poetis Ionicis sunt composita, nonnullorum auctores

sequuntur morem Hesiodi et Boeotorum. Poeta hymni in Pana est Ionicus, quamquam or[illegible] nominis dei ex illorum consuetudine est. Narrat deo nomen Pani datum esse, ὅτι φρένα πᾶσιν [illegible] quod omnes dei Olympi summo gaudio affecti sint mirabili pueri capripedis conspectu. Similiter Hesiodus Opp. 80 sqq. de origine nominis Pandorae tradit: (Διὸς κήρυξ) ὀνόμηνε δὲ τήνδε γυναῖκα Πανδώρην, ὅτι πάντες Ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες δῶρον ἐδώρησαν πῆμ' ἀνδράσιν ἀλφηστῇσιν. Risum nostrum movent puerilia haec etymologiae exempla. De veri simili nominis Panis origine et notione v. Curtium, etym. Gr. p. 254, qui in eo radicem PÂ reperit, velut in pascor pabulum pastor all. Neque male id congruit cum dei pastorum imagine, quam poeta fingit.

Pan Homero et Hesiodo ignotus non semel a tragicis et aliis poetis commemoratur atque omnes consentiunt patrem eius esse Mercurium, cf. Schol. ad Eur. Rhes. 36 p. 87. Mater dei ab Herodoto II 145 Penelope appellatur, ab hymni poeta nympha oreas, filia Dryopis, de quo v. infra. Quod Mercurium familiariter usum esse nymphis legimus, iam in Odyssea ξ 435 deo simul cum his sacra feruntur. Celebratur Pan in montibus silvestribus degens, ubi tum nympharum choros ducit (cf. Ae. Pers. 445 νῆσός τίς ἐστι ...., ἣν ὁ φιλόχορος Πὰν ἐμβατεύει), tum venator acer per cacumina montium saltusque vagatur, tum et in montibus et in pratis gramineis oves pascit. Regnum, quod sorte obtigit Pani, sunt saxosa et nivosa montium cacumina neque pauca epitheta ex hoc domicilio, in quo deus versari solet, ducuntur. Sic Pan ὀρειάρχης nominatur Anthol. 6, 34, 4 ὀρειβάτης Anthol. Pl. 226, 1 ὀρειώτης Anthol. 9, 824, 2 ὀρεσσιβάτης Soph. OR. 1100. Cf. etiam locum Athenaei 10 p. 455, ubi de Panis domicilio similiter atque in hoc hymno legimus: σὲ τὸν βόλοις νιφοκτύποις δυσχείμερον ναίονθ' ἕδος.[1]) Invenit deus νόμιος tibiam pastoralem, id quod etiam Vergilius Ecl. II 31 commemorat: Pan primus calamos cera coniungere plures instituit (cf. Hyg. fab. 274), qua tibia canere magister tam bene scit, ut cum Apolline ipso certamen inire non dubitet. Sic scribit Ovid. Metam. XI 153: „Pan ibi dum teneris iactat sua carmina nymphis et leve cerata modulatur arundine carmen, ausus Apollineos prae se contemnere cantus, iudice sub Tmolo certamen venit ad impar.“ Indutus est pelle lyncis cf. Verg. Aen. VIII 282 et Ecl. X 26.

Ex Arcadia, ubi deum natum esse omnes simul cum hymni poeta contendunt, (cf. Verg. Ecl. X 26 Pan deus Arcadiae) nomen et cultus dei divulgantur in alias regiones, etiam Athenas neque tamen ante pugnam Marathoniam, velut apud Herodotum II § 145 legimus: ἐν Ἕλλησι μέν νυν νεώτατοι τῶν θεῶν νομίζονται εἶναι Ἡρακλέης τε καὶ Διόνυσος καὶ Πάν sqq. et in fine: Πὰν ἐλάσσω ἔτεά ἐστι τῶν Τρωικῶν κατὰ τὰ ὀκτακόσια μάλιστα εἰς ἐμέ. Cf. etiam epigr. Simonid. 136 (Bergk.): τὸν τραγόπουν ἐμὲ Πᾶνα, τὸν Ἀρκάδα, τὸν κατὰ Μήδων, τὸν μετ' Ἀθηναίων στήσατο Μιλτιάδης. Causam, ob quam deus Athenas transferretur et sede sacra iuxta arcem a Miltiade donaretur, Herodotus VI 105 sqq. praesens dei auxilium fuisse narrat, quod praestitisset Atheniensibus. —

Iam vero ad dictionem, res et metricas et grammaticas hymni tractandas accedamus, et quae similia cum Homero Hesiodo praebeat, quae ab usu epico recedant, quae verba aut conformatione aut significatione nova et insolita adhibeantur, quae habeat propria, afferamus.

---

[1]) In versu sexto extat: (Πὰν) ὅς πάντα λόφον νιφόεντα λέλογχε. Idem perfectum invenitur semel apud Homerum λ 304 τιμὴν λελόγχασι, cf. Theocr. 4, 40 et hymn. VI 2 Ἀφροδίτη ἣ Κύπρου κρήδεμνα λέλογχε. Est verbum proprium de diis usurpatum, qui locum sorte acceperunt domicilium et regnum, quod tenent et tuentur, cf. Apoll. Rh. 1, 1226. De re v. Iliadis O 189 sqq., ubi de tripartito Iovis Plutonis Neptuni post Saturni caedem regno mundi narratur: ἕκαστος [illegible] ἔμμορε τιμῆς · ἤτοι ἐγὼν (Neptunus inquit) ἔλαχον πολιὴν ἅλα ναιέμεν αἰεί, παλλομένων, Ἀίδης δ' ἔλαχε ζόφον ἠερόεντα, Ζεὺς δ' ἔλαχ' οὐρανὸν εὐρὺν ἐν αἰθέρι καὶ νεφέλῃσιν. Eodem modo etiam diis ceteris suum cuique regnum tributum [illegible] cf. Theog. 203 sqq., ubi Hesiodus verba faciens de regno Veneris perfecto λέλογχε utitur.

Caput I.

Primum agamus de vocibus et versuum partibus, quas poeta in eadem versus sede exhibet atque Homerus.

Quamvis virorum doctorum sententiae de Homero eiusque carminibus inter se differant, tamen constat illum neque novi quidquam invenisse neque novas constituisse leges versus, dictionis, grammaticae, sed Iliadem et Odysseam complecti et memoriae prodere regulas poetarum, qui spiritu divino tacti et concitati iam multis antea annis carmina finxerant et diebus deorum festis cecinerant. Ut igitur in carminibus Homericis reperimus consuetudinem sermonis poetarum superiorum, ita posteriores quoque epicos praeter Homerum ex communi eo fonte hausisse apparet. Tamen redeamus necesse est ad carmina Homeri, si modum invenire volumus, quo poetarum inferioris aetatis imprimis epicorum poemata metiamur.

Iam enumeremus partes versus poetae cum Homero communes additis etiam similibus carminum Hesiodeorum et caeterorum hymnorum locis. In initio leguntur v. 1) *ἀμφί* *ϑ* 267 *Σ* 339 hh. III 57 VII 1 XXII 1 XXXIII 1.[1]) 4) *αἴτε κατ' αἰγίλιπος πέτρης* I 15 *Π* 4 mutato numero plurali in singularem *ἥτε* cf. *N* 63 *ὅς ῥά τ' ἀπ' αἰγ. π.* 8) *φοιτᾷ* *ξ* 355 (*φοίτων*). 9. 10) *ἄλλοτε μέν .... ἄλλοτε δ' αὖ* *ε* 331 (*δ' αὖτ'*) h. II 141. 142 Hes. Th. 833. 834. 835 (*ἀ. δ' αὖτε*, tum bis *ἀ. δ' αὖ* et *ἀ. μέν* in fine v. 830.) 11) *ἀκροτάτην κορυφήν* *A* 499 (dativ.), adiectivum solum in initio versus *Δ* 139 Hes. Th. 7. 12. 13) *πολλάκι* plerumque ita positum ab Homero, cf. h. III 566. 14) *ὀξέα* *B* 222 *P* 88 addito *κεκληγώς*, cum hoc participio *δερκόμενος*[2]) Homerus superlativum *ὀξύτατον* coniungit *Ξ* 345 *P* 675, cf. *δεινὸν δερκομένη* Hes. Sc. 160 et *ἄγρια δερκομένω* ib. 236. 20) *φοιτῶσαι* h. III 205 cf. *β* 182 *φοιτῶσι.* 21) *μέλπονται* Hes. Th 66. 25) *ἐν μαλακῷ λειμῶνι* Hes. Th. 279 h. III 198. 27) *ὑμνεῦσι* h. II 190 XXVII 19 cf. *ὑμνεῦσαι* Hes. Th. 11 saep., aliae quoque huius verbi forma in initio versus extant. 28) *οἷον* v. 388 Hes. Sc. 106 aliis locis, formula est ex Eoeis Hesiodeis notissima, germanice: wie sie auch einmal besangen. 32) *ἔνϑ' ὅγε* h. IV 60 (gen. fem.) 33) *ἀνδρὶ παρὰ ϑνητῷ* *λ* 490 *ἀ. παρ' ἀκλήρῳ* sc. *ϑητεύειν* similiter atque in hymno *μῆλ' ἐνόμευεν* de Mercurio. 34) *νύμφῃ ἐυπλοκάμῳ*[3]) *α* 86 h. III 7, reperiuntur etiam casus alii in eadem versus sede. 41) *δεξάμενος* *Ξ* 203. 42) *ῥίμφα* *Θ* 54 saep. Hes. Sc. 342 h. V 380 IX 4. 43) *δέρμασιν ἐν πυκινοῖσι* *β* 291. 44) *πὰρ δὲ Ζηνί* *E* 869 (*πὰρ δὲ Διὶ Κρονίωνι καϑέζετο*) *πὰρ δὲ* saep. in initio. 48) *καὶ σὺ μὲν οὕτω χαῖρε, ἄναξ, λίτομαι δὲ σ' ἀοιδῇ* h. XVI 5 et *ἵλαμαι* pro *λίτομαι* posito h. XXI 5, prior pars versus etiam extat in hh. IX 7 XIV 6 XVIII 10 XXVI 11 XXVIII 17 XXXVI 20. 49) *αὐτὰρ ἐγὼ καὶ σεῖο καὶ ἄλλης μνήσομ' ἀοιδῆς* h. II 546 III 580 V 495 VI 21 X 6 XXVIII 18 XXX 19 et levi mutatione *αὐτὰρ ἐγὼν*

---

[1]) De collocatione praepositionis *ἀμφί* in hymno hoc pauca commemoranda sunt. In dissertatione, quam Schnorr. de Carolsfeld scripsit de verborum collocatione Homerica Berl. 1864 pag. 19 legimus: „constat collocari inter praepositionem et nomen ad eam pertinens ea vocabula, quibus non efficiatur necessaria disiunctio, particulas et pronomina enclitica" et pag. 22: „nullum certum extat exemplum praepositionis aut eo intervallo, quo versus inter se dirimuntur, aut caesura pedis tertii a nomine suo disiunctae." In utraque igitur re hymni poeta peccat, primum quod inter praepositionem et nomen praeter pronomen *μοι* genetivum *Ἑρμείαο* ponit, tum quod vocabula cohaerentia caesura tertii pedis trochaica dirimit.

[2]) Piersonus hoc loco scribere mavult *ὀξέα κεκλόμενος*, quod probans Koechlyus bene cum Panico, qui vocatur, [illegible]ore convenire dicit, sed retinemus lectionem codicum *δερκόμενος*; nam quadrat in Pana, venatorem acrem, qui oculis [illegible] feras investigat. Hinc in Orph. h. 10, 9 *εὔσκοπος ϑηρητήρ* dicitur.

[3]) Locus offensione non caret, nam *νύμφην* simpliciter pro filia sumi posse exemplis non probatur. Si igitur hanc [illegible]tinemus, excidisse cum Koechlyo statuendum est post *Δρύοπος*, quibus et patris et puellae res accuratius indicarentur. [illegible]hl. scribit *κούρῃ ἐυπλοκάμῳ*.

ὑμέων τε κτλ. h. XXV 6 XXVII 22 XXIX 14 XXXIII 19, αὐτὰρ ἐγών h. II 177 et ... minibus Homericis aut in primo aut in quinto versus pede, in Odyssea frequentius in primo po...

Sequuntur voces et versuum partes, quas in ultima versus sede reperimus in Homeri, Hesiodi carminibus, in hymnis.

4) κάρηνα in Iliade et Odyssea ubique praeter unum locum Λ 500, ubi ante caesuram tertii pedis trochaicam collocatum est. 6) λέλογχε Hes. Th. 203 h. VI 2. 7) κέλευθα et mascul. κέλευθοι ubique apud Homerum exceptis locis duobus. 8) διὰ ῥωπήια πυκνά Ψ 122, cum praepositione ἀνά Ν 199, κατά Φ 559 ξ 473. 9) μαλακοῖσι Α 582. 11) εἰσαναβαίνων Hes. Th 57, nominativus gen. femin. ib. 939, indicativus β 172 σ 252 τ 125 Hes. Th. 508. 12) οὔρεα μακρά Hes. Th. 835. 13) θῆρας ἐναίρων Φ 485 (κατ᾽ οὔρεα θῆρας ἐναίρειν) h. IV 18. 15) ἀθύρων Ο 364 h III 152. 18) μελίγηρυν ἀοιδήν h. II 519, omnes casus vocis ἀοιδή non semel apud Homerum et Hesiodum et in hymnis, v. s. v. αὐτάρ. 20) ἐπὶ κρήνῃ μελανύδρῳ v. 158 (ἐπὶ cum accusativo), saepius in Iliade. 21) ἠχῷ Hes. Sc. 279. 348. 23) ἐπὶ νῶτα δαφοινόν Β 308 (δαφοινός) h. II 304. 24) μολπαῖς ζ 101 (genet. singul. numeri). 25) κρόκος ἠδ᾽ ὑάκινθος Ξ 348 h. V 426. 26) ποίῃ et alii vocis casus saepius apud Hom. et Hes. 27) (κατὰ) μακρὸν Ὄλυμπον Θ 410 ω 351 saepius in Theogonia. 28) ἔξοχον ἄλλων Ρ 358 ε 118 saep. 29) ἄγγελός ἐστι Β 26 (εἰμί) ε 29 (ἐσσί), ἐστί coniunctum cum nominativo in ος exeunte saepe in fine versus. 30) μητέρα μήλων Β 296 saep. Hes. Th. 284 cf. πολυπίδακα μητέρα θηρῶν Θ 47 h. IV 68. 32) μῆλ᾽ ἐνόμευε ι 336 κ 85 (μῆλα νομεύων). 33) ἐπελθών[1]) ρ 382. 34) φιλότητι μιγῆναι h. IV 150, μιγῆναι Ι 133 ν 12, participium saep. in Theogonia. 35) ἐν μεγάροισι κ 452 saep. Hes. Sc. 384. 36) ἰδέσθαι ubique in Iliade et Odyssea exceptis locis duobus, saepius in carminibus Hesiodi et in hymnis. 38) τιθήνη Ζ 389. 467 Χ 503. 39) ἠυγένειον ubique in Il. et Od. 41) δαίμων saepius apud Hom. 42) καλύψας Ρ 132 saep., etiam aliae huius verbi formae. 43) λαγωοῦ Κ 361 saep. (accusat.) 44) καὶ ἄλλοις ἀθανάτοισι Ζ 259 Hes. Opp. 725 h. V 400.

Media denique in versus sede reperiuntur: 1) γόνον α 216 saep.; ἔννεπε Θ 412 (indicativus imperfecti). 3) ἄμυδις Κ 300, plerumque tamen incipiens a thesi pedis primi. 8 et 22) ἔνθα καὶ ἔνθα saepe apud Hom h. IV 80 h. VII 39, et Θ 107 ex iis pendet genetivus πεδίοιο, ut in v. 22 χορῶν. 12) διέδραμε γ 177. 13) διήλασε ubique hoc loco apud Hom., h. III 96. 24) ἀγαλλόμενος Μ 114 saep. Hes. Th. 68 h. II 427. 26) ἄκριτα σ 174 τ 120 (neutrum numeri singul. pro adverbio) Γ 412 Ω 91 (num. sing. adiectivi). 28 et 40) ἐριούνιον, quod septiens in carminibus Homeri extat, sexiens in Iliade, semel in Odyssea, quater ante caesuram, quae vocatur, bucolicam ponitur, h. III 145 XVIII 3. 31) ἔνθα τέ οἱ τέμενος θ 148 h. IV 59, τέμενος Ψ 148 ζ 293 (apud Homerum vox non legitur nisi tribus his locis); Κυλληνίου[2]) h. III 304 Κυλλήνιος Ἑρμῆς. 39) τέκε λ 287 saep., etiam in Hesiodi Theogonia non semel, h. II 24. 36) ἄφαρ[3]) δ 85. 38) φεῦγε δ᾽ἀναΐξασα cf. Apoll. Rh. IV 842 ἦ καὶ ἀναΐξασα ν 197 στῆ δ᾽ἄρ᾽ ἀναΐξας Χ 148 δοιαὶ ἀναΐσσουσι. 41) περιώσια h. V 362 singularis numerus, quo etiam Homerus pro adverbio utitur, cf. Δ 359 π 203, pluralem, ut hoc loco, invenimus Orph.

---

[1]) Matthiae scribere mavult ὑπελθών, vocabulum proprie et sollemniter de amore et omnibus, quae animum subeunt, usurpatum cf. Η 215 et Υ 44.

[2]) Baumeisterus genetivum praefert accusativo secutus Homeri iam loquendi rationem, velut δ 646 legimus ἦ σε βί... ἀέκοντος ἀπηύρα νῆα μέλαιναν; vide exempla huius constructionis alia, quae Ameisius ad ζ 157 affert, cf. etiam h. V ... Koechlyus cum Ilgenio mavult Κυλλήνιον ex unius codicis lectione et hymni poetam in aure habuisse contendit locum Ili... qui est Υ 391 ὅθι τοι τέμενος πατρώιόν ἐστι.

[3]) Vocabulum hoc loco et δ 85 eandem prae se fert notionem, ut significet statim a primo ortu, non postea ... ira alicuius dei, ut Vulcani, ita corpore affectus (Matth.); accomodatissimum igitur in hymno ad rem et praeferen... ἀτάρ, quam Ruhnkenius et Ilgenius exhibent.

[illegible] 39) ut in carmin. Homeri saepe ante caesuram bucolicam, h. II 331. 370 III [illegible].
[illegible] h. III 42. 47) καλλέσκον Ι 562.

Caput II.

Secundo loco afferamus vocabula, quae non leguntur nisi in hoc hymno.

Mirari non licet, quod poetae Graeci per facilitatem verborum effingendorum, qua lingua Graeca caeteras fere omnes superat, multa vocabula nova ex ingenio suo conformaverunt et composuerunt. Qua facilitate adductus etiam hymni auctor nova vocabula invenit, praesertim cum Pan ipse, quem celebrandum sibi sumpserat, eiusque cultus summam occasionem ei darent verborum ad dei laudem novandorum. Praeter unum omnia sunt adiectiva copulata: *ἀγλαέθειρος* (v. 5) *τερατωπός* (36) *φιλόκροτος* (2) (tria epitheta Panis) *λιγύμολπος* (19) *μηλόσκοπος* (11) *χοροήθης* (3) *ψαφαρόθριξ* (32), unum verbum *ἀνακέκλομαι* (5). Eorum vocabulorum significationes afferamus et adiciamus similia e carminibus Homeri Hesiodi aliorum.

Ἀγλαέθειρος is est, qui pulchram et splendidam comam habet, et dubitari potest, rectene deo Pani detur epitheton, cuius in imaginem comae pexae et comtae non quadrent, tamen *οὐλοέθειρος*, quod non inepte conicit Koechlyus collato vocabulo *οὐλοκάρηνος* τ 246, reicimus et codicum lectionem defendimus in interpretando adiectivo Prellerum secuti, qui in mythol. Gr. I pag. 458 vertit: „mit dem stattlichen Haarwuchs." Adiectivum *ἀγλαός* Homero usitatissimum, verbum cum eo coniunctum habet unum *ἀγλαόκαρπος*, (etiam in h. V saep. de Venere usurpatum), multo plura Pindarus, cf. *ἀγλαόδωρος* h. V 54 saep. — *τερατωπός*[1]) deus mirabili conspectu, prodigiosus Pan iure nominatur de corpore et hominis et capri speciem gerente et a primo quidem statim ortu. Homerus adiectiva in — *ωπός* exeuntia habet duo: *στεινωπός* *Η* 43 de via angusta et *εἰσωπός* *Ο* 653 *εἰσωποὶ ἐγένοντο νεῶν* in conspectum navium venerunt, Hesiodus *δεινωπός* Sc. 250 *Κῆρες δεινωποί*, ut Soph. OR. 84 *δεινώψ* de Eumenidibus, utrumque simillima vocabulo *τερατωπός* significatione. — Tertium dei epitheton, *ἅπαξ λεγόμενον*, quod dicitur, est *φιλόκροτος* strepitum amans, cf. *φιλοκρόταλος* semel in Anthol. Pal. 9, 505 usurpatum. — Sequitur *λιγύμολπος* acute sonans, canorus i. q. *λιγύθροος*. Singulae vocabuli partes Homero non ignotae sunt, habet *λιγύς*, *μολπή*, etiam *μέλπειν*, tria vocabula cum *λιγύς* copulata: *λιγυπνείων*, quod Bekkerus quidem duobus verbis scribit, de ventu, (cf. *λιγύπνοιος* sc. *ἄνεμος* h. I 28) *λιγύφθογγος* de praecone *Β* 50, *λιγύφωνος* de ave rapaci (cf. Hes. Th. 275 *λιγύφωνοι Ἑσπερίδες*). Simili notione atque *λιγύμολπος* simplex *λιγύς* saepius usurpatur ab aliorum hymnorum auctoribus et ab Hesiodo, qui Sc. 205 addito *μέλπεσθαι* vocem de musarum cantu exhibet. Adiectivum in — *μολπος* desinens Homerus ignorat, cf. *εὔμολπος* sc. *φόρμιγξ* h. III 478. — Collis, e quo deus oves pascentes adspicere potest, appellatur *μηλόσκοπος* (Stephanus vitiose accentum in paenultima ponit). Non pauca omnino sunt vocabula, quae in priore parte *μῆλον* habent; Homerus cum eo non iungit nisi unum *μηλοβοτήρ* Σ 529 (idem h. III 286), alteram huius vocis partem prae se ferunt *ἐπί* — *εὔ* — *ἄσκοπος*, omnia active usurpata, similiter *θηροσκόπος* sc. Diana h. XXVII, 11, sed notione passiva *τηλέσκοπος* (*αὐγή*) Hes. Th. 566. — Deum, qui valde delectatur vagans in collibus silvestribus, comitantur nymphae montium *χοροήθεις*, choris assuetae et choros amantes. Similiter nymphae *χοροπαίγμονες* dicuntur Orph. h. 23, 2 (cf. *Πᾶνες κεραοὶ χοροπαῖκται* Anthol. Pal. 6, 103). Non minus choris gaudet Bacchus, quare *χορομανής* appellatur Orph. M. 51, 7 et *χοροτερπής* Nonn. Dion. 14, 249. In carminibus Homericis unum exstat vocabulum cum *χορός* iunctum *χοροιτυπία* de actione saltandi, soli pedibus plaudendi. —

[1]) Dindorfius in Steph. thesaur. ed. s. v. id scribere vult etiam in Orac. Sibyll. 11, 84 pro vulgari [illegible].

ψαφαρόθριξ epitheton ovium, proprie de squalore locorum et agrorum incultorum dictum, ... transferri potest, quorum aspera et horrida est superficies. Hoc loco oves sunt squalidis sive ... velleribus indutae. Eadem fere significatione Euripides Rhes. 716 ψαφαρόχρους usurpat et similiter ... velleribus dictum extat βαθύτριχα μῆλα h. II 234. Pulchrius est epitheton, quod in Odyssea ovibus datur, καλλίθριξ ι 336. 449. Praeterea μῆλα appellat Homerus ἴφια I 406 saep., ἄργυφα de colore candido ϑ 85, πίονα saep. Cf. ἵπποι ὄτριχες Β 765 et αἶγες τανύτριχες Hes. Opp. 516.

Restat verbum ἀνακέκλομαι, dictum de nymphis Pana invocantibus et celebrantibus. Simplex κέκλομαι verbum ab Homerica dictione non alienum notione impellendi, adhortandi, semel vocandi Σ 391, ut h. V 21.

Caput III.

Iam enumerentur vocabula, quae in Homericis carminibus non leguntur, at et hoc in hymno et alibi.

Praepono quattuor adiectiva, quae de Pane praedicantur: αἰγιπόδης (v. 1 et 37) δίκερως (ib.) ἡδυγέλως (37) πολύκροτος (ib.).

Pan vocatur αἰγιπόδης capripes, nonnunquam etiam Fauni et Satyri, cf. Ov. Metam. XIV 515 semicaper Pan. Eodem vocabulo Herodotus utitur IV 25, ubi legimus: οἰκοῦσι τὰ ὄρεα αἰγίποδες ἄνδρες. Cf. αἰγιβάτης, epitheton caprorum et Panis Iac. AP. pag. 739. Homerus tres voces habet ab αἰγι — incipientes: αἰγίλιψ, — βοτος, — οχος, unam in — πόδης exeuntem ἐπταπόδης. — δίκερως in versu secundo et Anth. 6, 32 epitheton dei bina cornua gerentis, Anth. 5, 123 lunae. Extant etiam vocis formae δικέραος et δίκερος. In carminibus Homericis invenimus κέρας, ὑψίκερως κ 158, apud Hesiodum νήκερος Opp. 531, alia vocabula cum κέρας copulata apud tragicos, v. Krueger. de dial. § 22 adn. 3. — ἡδυγέλως suaviter ridens, sc. Pan, semel in Anth. 5, 135 de lagena legitur. Idem significat ὑγρόγελως, quod Bekk. Anal. p. 67, 25 affert. Homerus non semel in Il. et in Od. verba γελᾶν et ἡδύ eadem notione disiuncta exhibet et cum ἡδύς coniungit ἡδυεπὴς ἡδύποτος. — Quartum his accedit epitheton πολύκροτος (v. s. φιλόκροτος), qui magnum strepitum facit et amat vel clara voce clamat, canit; praeter hunc locum ter legitur: apud Anacreontem, sc. Γαστροδώρη (Athen. 10 pag. 447 A), apud Posidipp., sc. χελωνίς (Athen. 12 p. 527 F), apud Lucian. Trag. 115, sc. ἀστράγαλος. Alteram vocabuli partem reperimus in Homericis κροτέω Ο 543, κροταλίζω Λ 160 de equis, qui magno cum strepitu currum vehunt. Cf. πολυκρόταλος Nonn. Dion. 254 (χείρ), ἐπικροτέω Hes. Sc. 308. — Addenda sunt duo adiectiva simplicia, quae etiam epitheta Panis sunt, αὐχμήεις (6) νόμιος (5). Partim propter vitam asperam et horridam, quam in montibus et silvis degit, partim quia, ut Satyros, ita Pana etiam ad hircorum et caprorum similitudinem poetae et artifices effingunt (v. Jacobs. Exercit. crit. II p. 9) deus nominatur αὐχμήεις[1]) i. e. squalidus vel hirsutus. Eodem vocabulo utuntur Attici. In Odyssea semel invenitur αὐχμεῖν ω 250, ubi poeta Ulixem dicentem facit ad patrem Laertem de squalido eius habitu. Femininum αὐχμήεσσα reperimus apud Dionys. Perieg. 182. Similiter ac Pana Plato in Conv. p. 203 D Amorem deum (σκληρὸν καὶ) αὐχμηρὸν vocat, cf. αὐχμηροκόμης, qui squalidos gerit crines Anaxandrid. ap. Athen. 4 p. 131 B, αὐχμώδης Eur. Or. 228. — Pan est deus pastorum νόμιος, ut Anthol. 6, 96 Orph. h. 10, 1 Paus. 8, 38, 11. Similiter Vergilius in Ecl. II 33 de eo scribit: Pan curat oves oviumque magistros. Idem epitheton apponitur Mercurio Ar. Thesm. 977, Baccho Anth. 9, 524, 1...

---

[1]) Epitheton cum optime congruat cum universa dei imagine et proprie dicatur propter similitudinem capri, non est cum Koechlyo λαχνήεις, quod ex Iliade Β 743 et Σ 415 depromptum est, legere.

Apoll. Rh. 4, 1218 all., nymphis Orph. h. 50, 11. — Conspectu infantis divini mirabili ceteros deos delectatur *Διόνυσος ὁ Βάκχειος* (v. 46). Idem cognomen dei legimus in Herod. IV 79 *ἐπεθύμησε Διονύσῳ Βακχείῳ τελεσθῆναι, Βακχεῖος θεός* Soph. OT. 1105, *σὺ κισσοφόρε Βάκχειε* Arist. Thesm. 988, *Βακχεῖον ἄνακτα* Orph. h. 29, 2. Ex his exemplis apparet incertum esse vocabuli accentum. Cf. *ὁ Βακχιώτας Διόνυσος* ap. Soph. OC. 679. — Sequitur adiectivum *ἥδυμος*[2]) (v. 16) suavis sc. cantus. Sic scribendum est hoc loco, non *νήδυμος*.

Substantiva duo commemoranda sunt, quae in Il. et Od. nondum usurpantur, *ἠχώ* (v. 21) et *λύγξ* (24). *Ἠχώ*[3]) est sonus, tum sonus repercussus, quem Germani dicimus ‚Echo', et hac significatione vox ponitur apud Hesiodum Sc. 279, ap. tragg., Aristoph. all. Homerus utitur forma *ἠχή* de sonu tumultuoso, velut Hes. Sc. 438 de cadente saxo, *ἠχήεις* de mari undante *Α* 157, Hesiodus praeterea *ἠχέω*[4]) Th. 42: *ἠχεῖ δὲ κάρη νιφόεντος Ὀλύμπου* ex cantu nympharum, ib. 835: *ὑπὸ δ' ἤχεεν οὔρεα μακρά* ex voce Typhonis. Huc etiam pertinent verba *πολυηχής Δ* 422 (*αἰγιαλός*), *ὑψηχής Ε* 722 *Ψ* 27 (*ἵππος*) equus capite surrecto hinniens, cf. *ἠχέτα τέττιξ* Hes. Sc. 393 Opp. 582. — Indutum fuisse Pana narrat hymni poeta pelle lyncis.[5]) Vox *λύγξ*[6]) ab Homero aliena etiam extat in Eurip. Alc. 582, Xen. Cyn. 11, 1. all.

Accedunt quattuor verba copulata: *διοιχνέω* (v. 10) *ἐπιπροχέω* (18) *ἐξάνειμι* (15) *καταμίσγομαι* (26), duo simplicia: *λίτομαι* (48) *ὑμνέω* (27).

Διοιχνέω bis legitur praeter hunc locum, Ae. Eum. 11 *αἰῶνα διοιχνεῖ* permeat per vitam et Lycophr. 10 translata explicandi notione. Hoc loco cum accusativo non iungitur, *διοιχνεῖ* (Pan) *ἐν πέτραις* ambulat in montibus, velut bis *φοιτᾶν* scriptum legimus. — Verbi *ἐπιπροχέω*[7]), quod de luscinia canente usurpat poeta, Nonn. Dion. 21, 69 semel utitur forma passiva *ἐπιπροχυθεῖσα* irruens. Eadem significatione atque in hymno scribitur *προχέειν ὄπα γλυκεῖαν* vel *ἱμερόεσσαν* Pind. Pyth. 10, 87, *π. λίγειαν ὀμφάν* Anacr. 44 (6) et *ἐπιχέειν* Hes. Opp. 582, ubi est: *ἠχέτα τέττιξ δενδρέῳ ἐφεζόμενος λιγυρὴν ἐπιχεύετ ἀοιδήν*. — Pan est deus venationi praefectus eiusque amantissimus, quare iure *ἀγρεύς*

---

[1]) *Νόμιος* epitheton Apollinis alia accipiendum significatione Hesychio et Suida auctoribus, qui deum non pastoralem nominari dicunt, sed iustum et secundum leges iudicantem, ut derivetur a voce *νόμος*.

[2]) In carminibus Homericis veri simile est ubique legendum esse *νήδυμον* locis duodecim, (octiens in Iliade, quater in Odyssea), quibus vocabulum usurpatur epitheton somni; nam quamquam *ἥδυμος* metri causa noviens scribi potest, tamen ne varia quidem lectio in libris manu scriptis invenitur, v. Buttm. Lexil. I 179 sqq. et Ameis. adn. ad v. 79.

[3]) Nympha Echo a Pane adamata primum in Aristoph. Thesm. 1068 et in Eurip. frg. ap. Schol. Arist. Thesm. 1019 invenitur. (Baum.)

[4]) *ἀχέω* h. V 479 pro *ἠχέω* scribi Buttm. Lexil. II pag. 104 sqq. veri simile esse docet collatis radicibus *ΘΑΛ* et *ΘΗΛ*; Ilgenius *ἀχέω* etiam in versu duodevicesimo hymni in Pana exhibet et Matth. et Buttm. Lexil. II p. 117 ei assentiuntur.

[5]) De re conferas Welcker. Mythol. I. p. 456, neque pauca de hac fera affert Aristotel. H. A. 2, 1 sqq. De more hoc induendarum pellium v. Verg. Aen. VIII 282 et de habitu Panis alio quodam Verg. Ecl. X 26: Pan deus Arcadiae venit, quem vidimus ipsi sanguineis ebuli baccis minioque rubentem.

[6]) Genetivus legitimus est *λυγκός*, quem in hymno legimus, non *λυγγός*. Vitiose hunc a voce *λύγξ* singultus ductum pro illo sumi Iac. ad Anthol. Pal. 5, 279, 8 adnotat.

[7]) Spitznerus, quem sequitur Koechlyus, scribit *ἐπιπροϊεῖσα χέει* pro *ἐπιπροχέουσα ἵει*, lectione Baumeisteri, collatis duobus Odysseae locis, *μ* 192 *ἱεῖσαι ὄπα* sc. Sirenes, *τ* 521 *χέει πολυηχέα φωνήν* sc. luscinia. Verbum *ἐπιπροϊέναι* etiam in carminibus Homericis invenitur, sed significat mittere virum, sagittam adversus aliquid vel aliquem. Baumeist., ut suam defendat lectionem, duos locos similes affert: Orph. Arg. 422 *ἐκ στόματος μελίγηρυν ἱεὶς ἀπέπεμπεν ἀοιδήν* et *Γ* 152 *ὄπα λειριόεσσαν ἱεῖσι* (sc. *τέττιγες*); addas Hes. Th. 10 *περικαλλέα ὄσσαν ἱεῖσαι*, ib. 43 *ἄμβροτον ὄσσαν ἱεῖσαι* de cantu musarum, Eur. Hec. 338 *φθογγὰς ἱεῖσα*. De *ἰαχέω* vel *ἰάχω*, quod Ruhnken. et Herrmann. scribunt, v. Baumeist. ad h. l. et Lobeck. ad Soph. Ai. p. 180, de *ἀχέω* v. supra.

nominatur, ut Hesych. ex Apollod. refert. Neque tamen cantum neglegit et vespere [illegible] rediens tibia canit. Similiter atque in hymno *ἕσπερος ἄγρης ἐξανιών* ap. Apoll. Rh. III [illegible] *θήρης ἐξανιών*, cf. Theocr. 22, 8 *ἄστρα οὐρανοῦ ἐξανιόντα.* Cum iisdem duabus praepositionibus Homerus coniungit verba *δύω λύω ἵημι* et similiter *ἰέναι* cum *εἴσανα* — *H* 453 et *διεξ* — *Z* 393. — συμ*μίσγομαι* (*καταμίγνυμαι*) de floribus dictum, qui permiscentur cum prato. Activum exhibet Strab. I p. 20 et medium Nic. Al. 353. Notissimae sunt Homero et Hesiodo formae simplices *μίσγω μίσγομαι* eadem significatione et constructione atque in hymno. — De *λίτομαι* v. quae infra attuli in cap. septimo. — *ὑμνέω*[1]) est verbum proprium poetarum, qui hymnos composuerunt. Semel in Odyss. *θ* 429 extat *ὕμνος*[2]) addito genetivo *ἀοιδῆς* et significat idem atque *ᾠδή*, germanice ‚musikalisches Lied', Ameisius interpretatur ‚schallender Festlaut', cf. Nitzsch. adn. ad h. l., cum aliis locis usurpetur de cantu nervorum praecipue citharae vel tibiarum cum cantu vocum coniuncto, ut h. I 161 *ὕμνον ἀείδουσι.*

Denique huc pertinet unum adverbium *περίαλλα* (v. 46) praeter alios, praecipue, quod exhibet Pind. Pyth. 11, 8 Soph. OR. 1218 Apoll. Rhod. alii poetae epici.

Caput IV.

Iam transeamus ad ea vocabula, quae hymni auctor communia cum Homero, sed alia significatione exhibet. Primo loco ponantur verba: *ἀθύρω* (v. 15) *διελαύνω* (13) *διέπω* (25) *ἐννέπω* (1 et 29) *ἐφέζομαι* (9) *κλάζω* (16) *μέλπομαι* (21) *παρατρέχω* (16) *περιστένω* (21) *στείβω* (4).

Verbum *ἀθύρω* semel in Iliade legitur *O* 364, coniunctum cum dativo, ludo, lusione delector, proprie de lusu puerili dictum. Pindarus Nem. 3, 78 addit accusativum *μεγάλα ἔργα*, quod nos Germani dicimus „Heldenthaten wie ein Spiel verrichten“, hic poeta *μοῦσαν* de Pane usurpat, qui suaviter tibia canit. Vox poetarum epicorum propria, tum ad lyricos perlata, raro extat apud Atticos, qui forma spiritu aspero instructa *ἁθύρω* uti solent (v. Kuehner. gr. Gr. I § 67 adn. 3). Similiter atque nostro loco apud Apoll. Rh. 3, 949 legimus *ἀθύρειν μολπήν*, cf. *ἀθύρομαι* h. III 485 de cantu citharae. De Pane fistula canente similiter dicit Lucretius IV 592. 593: unco saepe labro calamos percurrit hiantes, fistula silvestrem ne cesset fundere musam. — *διελαύνω*[3]) apud Homerum significat transigere vel transfigere; hoc loco usurpatur intransitive, ut dicunt, *διήλασεν ἐν κνήμοισι* vagabatur in montibus silvestribus. Non abhorret ab hoc usu Xenophon, qui hac voce saepius significatione equitandi utitur, ut Hipp. 3, 6 legitur *διελαύνειν ἐν Λυκείῳ* de certamine equestri. — *διέπω* apud Hom. ordino, administro, rego, ubique cum obiecto, quod vocant, iungitur, hoc loco id deest, simul tamen audiendum, ut Frankio auctore versum interpretemur: crebro iens disponit et collocat deus nymphas; Baumeist. vertit: „er commandirt die Nymphen.“ Cf. h. XXVII 15, ubi scribitur de Diana *Μουσῶν καὶ Χαρίτων*

---

[1]) „Saepe dii (Ilgen. ad v. 27 adnotat) eorumque natales materia cantus sunt, cf. h. II 12 III 426 Hes. Th. 66, imprimis h. XXVII 19 sqq., ubi musae et gratiae in Dianae honorem eodem modo celebrare natales eius perhibentur, ut nymphae hoc loco Pana natalium commemoratione delectant.“ Non igitur duae huius hymni partes statuendae sunt cum Groddeckio, sed optime omnia inter se cohaerent.

[2]) Fortasse autem praestat *οἶμον* scribere, ut h. III 451 Nonn. Dion. 17, 374 Call. Iov. 78.

[3]) Versum duodecimum sqq. prope ad verbum expressit Ovidius Fast. II 285. 286: (Pan) ipse deus velox discurrere gaudet in altis montibus et subitas concitat ille feras.

χορὸν ἀμφιέπουσαι. — ἐνέπω¹) in carminibus Homericis est dico, nuntio, ut v. 1, v. 29 autem canto celebro, ut ἀείδω Α 1. — ἐφέζομαι²) notissimum Homero significatione sedendi in aliqua re, ut πατρὸς ἑοῦ γούνασι (Hes. δενδρέῳ), h. l. significat considere ad ripas rivorum, ἐφεζόμενος ῥείθροισι³) μαλακοῖσι, velut ὄχθῳ Ar. Av. 774, ᾐόνεσσι Apoll. Rh. 3, 995 et cum accusativo Εὐρώταν Eur. Hel. 1492. — De verbo ἔκλαγον v. in cap. VII, neque tamen forma sola, sed etiam significatio ab usu sermonis Homerici aliena est. Homerus κλάζειν dicit de voce animalium ἀλόγων, quae vocantur, ut gruum, suum, de confusae multitudinis strepitu, de sagittae missae stridore. De articulata hominum voce vocabulum ab inferioris aetatis scriptoribus usurpatur ita, ut simul notio insit vocandi clara voce, Eur. Phoen. 1151 Ae. Ag. 201, vel canendi, ut in hoc hymno, Eur. Ion. 905 κλάζειν κιθάρᾳ, Anth. 7, 196 κλ. μέλισμα. — μέλπομαι Hom. habet de saltando ad cantum, cf. Ameis. ad v. 27, hymni auctor de canendo, nisi fortasse praestat vocem h. l. intellegere significatione ludendi et iocandi, ut παίζειν, v. h. II 197. — παρατρέχω in Il. et Od. proprie significat praetercurro, currendo supero, cf. etiam Anth. Pl. 275, 9 παρατρέχειν τινὰ πόδεσσι, h. l. verbi vis latius patet, ut sit supero, vinco, cf. Ar. Equ. 1352 Polyb. 32, 15, 12 (τινά) ib. 32, 11, 2, ubi similiter iungitur cum τινὰ ἔν τινι. — περιστένω circumsono cum accusativo non coniungitur nisi hoc loco, obiecto caret in Dionys. ap. Clem. Al. p. 674 πόντου μαινομένοιο περιστείνει ζάψ. In Iliade semel Π 163 passivum extat, γαστὴρ περιστένεται, sed alia significatione; nam h. l. idem est quod στενοχωρεῖ, undique coartatur, nimis completur. Cf. duos locos similes Quinti Smyrnaei 3, 23 νεκύεσσι περιστείνοντο ῥέεθρα et 14, 607 περιστείνοντο δὲ πᾶσιν ἠιόνες. Utrumque vocabulum ab eadem radice ΣΤΕΝ ducitur, v. Curt. etym. Gr. p. 201. — De nymphis, quae colles calcant i. e. in collibus morantur, legimus στείβουσι⁴) κάρηνα atque eadem significatione verbum ponitur ap. Soph. OC. 466.⁵) Apud Homerum στείβειν significat pedibus terere, calcare Λ 534 Υ 497 ξ 92, velut alibi, v. Eur. Hel. 869 Anth. 9, 327, 2 Apoll. Rh. 3, 836 Nic. Th. 607. —

Sequuntur nomina substantiva: δόνακες (15) Δρύοψ (34) ἕδραι (42) θρῆνος (18) κέλευθος (7) λαῖφος (23) μέλος (16) μολπή (24) μοῦσα (1 et 15) ὄρνις (17) πόθος (33) τιθήνη (38) χορός (22).

Δόναξ et δόνακες arundo Cypria et res ex ea factae, sagittae potissimum, ut Λ 584, neque tamen in carminibus Hom. est fistula arundinea, ut h. l., cf. Ae. Prom. 574 Pind. Pyth. 12, 44 all.; χορὸς κεράμων vel δονάκων Coluth. 122. — Δρύοψ semel in Iliade Υ 455 occurrit; est Troiani illius nomen, quem Achilles vulnerat, apud Apollod. 3, 12 pag. 334 Troiani cuiusdam, Priami filii. Ex Dryope quodam, cuius de parentibus valde inter se dissentiunt fabularum scriptores (Pausan. 4, 34 et

---

¹) ἔννεπον v. 29 aoristi vim habere non imperfecti (in germanico sermone: „wie sie zum Beispiel auch einmal den Hermes besangen") Hermannus monet, v. Buttm. gr. Gr. II p. 168, et propria quidem notione temporis praeteriti indefiniti.

²) Baumeist. ita scribit ex Batrachom. 100. ὄχθῃσιν ἐφεζόμενος μαλακῇσιν; quod codices habent, ἐφελκόμενος i. e. allectus (cf. Thuc. I 42), etiam abhorret ab Homerico usu, qui passivo eius verbi genere non utitur. Koechlyus versus 9 et 10 ita mutat: ἄλλοτε μὲν ῥείθροισι ἐφεσπόμενος καθαροῖσιν, ἄλλοτε δ' αὖ λειμῶσιν ἐφελκόμενος μαλακοῖσι, ex uno igitur versu duos facit. Bene hoc convenit cum natura regionum Arcadiae, quibus non absimiles esse Alpinas Helvetiae contendit Koechl., longius tamen a codicum scriptura abest.

³) Homerus ubique utitur forma soluta ῥέεθρον, plerumque numero plurali, excepto uno Odysseae loco α 186 ἐν λιμένι Ῥείθρῳ, ubi verbum est appellativum, quod vocant. Formam solutam usurpat etiam Herodotus, utramque lyrici et tragici, ut metrum requirit.

⁴) Koechlyus scribit στείχουσι κέλευθα; illud ex loco Odysseae ψ 136 ἀν' ὁδὸν στείχων, hoc ex trium codd. Paris. varietate ad κάρηνα (v. 7) depromit.

⁵) Baumeist. ad h. l. adnotat: poeta dicere vult deum cum nymphis oreadibus (νύμφαι ὀρεστιάδες v. 19, cf. ζ 123 αἳ ἔχουσ' ὀρέων αἰπεινὰ κάρηνα et Hes. Th. 130 αἳ ναίουσι ἀν' οὔρεα βησσήεντα) per prata vagari, sed ut intellegamus locum, simul audiendum est cum Frankio, nymphas montes reliquisse.

schol. Apoll. Rh. 1, 1212, 1218) nomen inditum est Dryopibus, antiquis accolis Parnassi, qui [illegible] cule victi atque expulsi in alias regiones migrasse dicuntur. De genere Dryopis et Dryopum v. [illegible] de Dorr. I p. 41 sqq. Baumeist. cum Prellero myth. I p. 459 *Δρύοπα* in latinum vertit silva[illegible] (Germanico sermone: Waldmann), id quod bene convenit cum origine vocabuli a *δρυός* voce, qua quercus significatur (Curt. etym. Gr. p. 224); de altera eius parte vide ib. p. 259. — *ἕδρα* ap. Hom. est sedes, sella, quae honoris causa alicui collocatur, h. l. domicilium. Similiter vocabulo utuntur Pindarus, tragici, alii, cum ille domicilium deorum dicat *ἕδος*. — *θρῆνος* lamentationes funebres in Iliade Ω 721 (numer. plur.), h. l. est mollis et suavis lusciniae cantus, cf. Francke ad Callim. p. 125 sqq. Simili significatione in Odyssea extat *θρηνέω* de cantu musarum ω 60: *μοῦσαι δ' ἐννέα πᾶσαι ἀμειβόμεναι ὀπὶ καλῇ θρήνεον*. — *κέλευθος* notissimum Homero, praeterea duae plurales formae in *οι* et *α* exeuntes. Num. singularis ubique significat viam tritam, ut pluralis *κέλευθοι*, ubi ea via non est, in aere et mari, Homerus *κέλευθα* (Germanico sermone: Strich, Bahn) usurpat, v. Ameis. in excurs. ad η 272. Ab hoc igitur usu abhorret, quod hymni poeta *κέλευθα* de montibus dicit. — *λόφος* in Il. et Od. significat cervicem iumentorum, etiam hominis, tum in Odyss. tumulum, collem (ut *γήλοφος*) v. λ 596 π 471, qua significatione ubique ponitur vocabulum apud Pindarum, saepe ap. Herodot. et Atticos, h. l. *λόφοι* montes alti dicuntur, quod colligere licet ex epitheto *νιφόεντες*. In carminibus Homer. non semel legimus *ὄρεα νιφόεντα*. — *λαῖφος* bis in Odyss. extat, ν 399 numero singulari, υ 206 plurali, et utroque loco est vestis attrita et lacera, in hymno pellis lyncis, qua Pan indutus est. — *μοῦσα* in primo huius hymni versu a poeta invocatur, ut se iuvet in Pane celebrando, in versu quinto decimo *μοῦσα* significat cantum dei, velut non semel apud tragicos, cf. Ae. Suppl. 695 *μοῦσα εὔφημος*, Soph. Trach. 643 *μ. στυγερά*, ap. Euripid. saep. Ex hac vocis significatione *μουσουργόν* dici *τὸν μελοποιόν* Eustathius ad Il. p. 11, 18 adnotat. — *μέλος* ab Homero non alienum significatione artuum hominum vel bestiarum, hymni poeta primus vocabulum de cantu usurpat (sc. lusciniae), ut saepe tragici de cantu sive vocum sive tibiarum nervorumque, etiam Theogn. 761 Pind. Plat. all. — *μολπή* in Odyssea ζ 101 est lusus cum cantu et saltatione coniunctus (cf. Ameis. ad h. l.), tum solus cantus in Il. Ν 13 saep., denique sola saltatio Σ 572, sed Homerus Hesiodus tragici non utuntur nisi numero singulari, hymni auctor plurali de saltationibus et cantibus nympharum, ut ex verbis proxime additis colligere licet. Cf. Pind. Ol. 11, 88 *λύραι μολπαί τε*, Ae. Eum. 1043; utrumque saepe numerum exhibent Aristoph. et poetae alii. — *ὄρνις*[1]) ab Homero *σκῶπες ἴρηκες κορῶναι εἰνάλιαι ἀετοί* nominantur, tum aves, e quarum volatu vel garritu augurari solebant, h. l. luscinia est. Similiter vocabulum usurpatur a Sophocle, qui Ai. 628 *ὄρνις ἀηδών* scribit, Ant. 423 *ὄρνις πικρά* cf. Lobeck. Ai. p. 299 sqq. Luscinia ab Homero semel in Odyss. τ 518 sqq. commemoratur, neque iure Passov. s. v. nomen proprium non avem esse dicit. Versus Odysseae bene consentiunt cum hoc loco. — *πόθος* desiderium usurpatur de equis rectorem desiderantibus Ρ 439, de desiderio patriae δ 596, de desiderio Ulixis ξ 144, apud inferioris aetatis poetas de desiderio amantium, ut in hymno. Haec vocis significatio nota Hesiodo Sc. 41, poetis tragicis, cf. Theocr. 2, 143 Arist. Ran. 56. Homerus hac notione exhibet *ἵμερος* Γ 3, 446: *ὥς σέο νῦν ἔραμαι καί με γλυκὺς ἵμερος αἱρεῖ*, de Paridis erga Helenam amore eiusque desiderio, Ξ 328 eadem verba de Iovis in Iunonem amore. Similiter usurpatur vox a Pind. tragg., cf. *φιλότης καὶ ἵμερος* Ξ 198. 216. — *τιθήνη* in Il. et Od. nutrix, h. l. mater ipsa est, ut ap. Coluth. 84 saep., nisi praestat

---

1) Extrema vocis *ὄρνις* syllaba ex usu Homerico longa in thesi usurpatur ab hymni auctore, cf. I 323, brevis est in arsi Μ 218 Mosch. 1, 16 Apoll. Rh. tragg., ubique longa apud Aristoph., v. Spohn. de extr. Od. parte p. 173 et Spitzn. pros. Gr. p. 37.

Koechlyo emendare *παιδ' ἀείδηνον* coll. Maneth. IV 368, cf. Stephan. s. v. — *χορός*[1]) apud Hom. videtur esse saltatio, non coniuncta cum cantu; nam *Π* 182 *μετὰ μελπομένῃσιν ἐν χορῷ Ἀρτέμιδος* interpretandum est alacri saltu ludere, v. O. Muelleri progr. Gotting. 1836 et Doederl. gloss. Hom. Cf. Lehrs. de Arist. stud. Hom. p. 153, ubi de loco, qui est *Σ* 590 legimus: *τὸν τόπον χορὸν εἴρηκεν, οὐ τὸ σύστημα τῶν χορευμάτων*, et Ameis. *χοροί μ* 4 vertit ‚Tanzplätze'. Hesiodus vocabulo iam utitur ut hymni poeta de multitudine eorum, qui tam magna voce quam nervis tibiisque canunt saltantque, Sc. 278 sqq.

Huc etiam referenda sunt adiectiva et adverbia *ἕσπερος* (14) *ἄκριτα* (26) *περιώσια* (41) *πυκνά* (20 et 23) *τόθι* (25).

Ἕσπερος[2]) vesper vel Hesperus (*α* 423 *χ* 317) aliquotiens apud poetas pro adiectivo *ἑσπέριος* vespertinus legitur; Homerus uno Odysseae loco *ϱ* 191 vocabulum sic exhibet: *τάχα τοι ποτὶ ἕσπερα ῥίγιον ἔσται* (ad vesperum), neque tamen epitheton addit personae, ut hymni poeta. Hoc modo forma legitima *ἑσπέριος* idem utitur *ι* 336 *ο* 505 saepius cf. h. III 18. 341. Forma in *—ος* finiens pro adiectivo extat apud tragicos, cf. Apoll. Rh. 2, 1253 *ἕσπερος αἰετός* aquila vespere volans et Orph. Arg. 688. — *ἄκριτος* indiscretus, confusus, ut *μῦθοι ἄχεα* in Iliade (cf. *ϑ* 505 *ἄκριτα πολλ' ἀγόρευον*), tum in Odyssea nimis, supra modum *σ* 174 *τ* 120 *πενθήμεναι ἄκριτον αἰεί* de luctu, qui mulceri non potest, apud recentiores demum poetas vocabulum notionem numeri assumpsit, ut non semel coniuncta legamus *μυρία καὶ ἄκριτα*. Similiter numerus pluralis generis neutrius pro adverbio in hymno usurpatur, ubi sermo est de floribus innumerabilibus, qui crescunt in prato. — Vocabuli *περιώσιος* Homerus omnibus locis neutrum numeri singularis pro adverbio habet (cf. h. IV 362), nusquam pluralem ut h. l., apud Planud. *περιώσια πάντων*, Orph. Arg. 61. — *πυκνά* non alienum ab Homero, qui etiam formis *πυκνόν* et *πυκινά* utitur, *ν* 438 et *ϱ* 198 de pera valde lacerata, *λ* 88 *πυκινόν περ ἀχέων* de magno luctu, similiter *Σ* 318 *πυκνὰ μάλα στενάχων* et *Κ* 9, hymni poeta duobus locis exhibet *πυκνά* de celeri pedum motu, ut Xen. Anab. 5, 9, 8 *πυκνὰ μεταστρέφεσθαι*. In versu vicesimo Barnesius *πύκα* scribit, quocum conferas locum Iliadis *Γ* 588 *θάλαμος πύκα βάλλετο*. — *τόθι* in carminibus Homericis ubique demonstrativum est et significat idem quod *αὐτοῦ ο* 239, similiter h. II 244, apud Pind., Apoll. Rh., hoc loco relativam vim habet, qua instructum *ὅθι* in Iliade et Odyssea saepissime legimus. Eadem significatione vocabulo *τόθι* utuntur Pind. Nem. 4, 84 Theocr. Dion. P. Nic. alii. A poetis Alexandrinis haec forma usurpatur, ubi hiatum evitare vel syllabam positione producere volunt, vide Well. ad Apoll. Rh. 4, 1475 et Herm. ad Hom. h. IV 158.

Caput V.

Proxime ab iis, de quibus modo egimus, absunt adiectiva, quae ab hymni auctore coniunguntur cum aliis substantivis atque in carminibus Homericis.

Ἀμείλιχος (v. 39) ab Homero nominatur deus inferorum I 158 *Ἀίδης τοι ἀμείλιχος ἠδ' ἀδάμαστος*, *Ω* 734 *ἄναξ ἀ.*, cui serviturus sit aliquando Hectoris filius, cf. I 572 *Ἐριννὺς .... ἀμείλιχον ἦτορ ἔχουσα*. Hesiodus fr. ap. schol. Apoll. Rh. I 156 *ὄφις ἀμείλιχος* dicit, apud Pindarum Pyth. 8, 10 ib. 6, 11

---

[1]) Cum toto loco convenit, quod Pindar. fr. 67 p. 593 Pana *χορευτὴν τελεώτατον θεῶν* appellat et Soph. Ai. 698 *θεῶν χοροποιὸν ἄνακτα*.

[2]) De toto hoc loco, qui multum habet offensionis, vide quae Koechlyus adnotat in coniectan. epic. fasc. III p. 7 et quae Baumeist. ad hunc locum affert.

est epitheton irae et exercitus, apud Ae. Choeph. 619 laborum, in Anth. maris, hoc loco extat [illegible] „conspectus Panis tam iniucundus", ut mater puerum deserere cogatur. — *ἀργινόεις* (*ἀργής*) in Iliade reperitur epitheton urbium (*B* 647 *Λύκαστος ἀ.* ib. 656 *Κάμειρος*), quae a montibus calcariis longe splendidis, in quibus sitae erant, appellantur, in h. v. 12 *ἀργινόεντα οὔρεα* sunt montes Arcadiae, per quos deus vagatur. — *δαφοινός* in Iliade epitheton leonum, canum aureorum (qui vocantur Schakale), draconum, apud Hesiodum Sc. 250 extat *Κῆρες δαφοινοί*, h. II 304 *δράκαινα*, quae in fine versus *πῆμα δ.* vocatur, hoc loco *δ. λαῖφος λυγκός* pellis lyncis. — *δενδρήεις* (v. 3) in Odyssea apponitur vocibus *ἄλσος νῆσος* (cf. h. II 76 *ἄλσεα δενδρήεντα* et *δ* 737 *πολυδένδρεος κῆπος*), in hymno praedicatur de prato. Sane haec verborum coniunctio *πίση δενδρήεντα* aliquid offensionis habet et Matth. ad h. l. adnotans: nescio an bene conveniat locis irriguis et pecori pascendo idoneis epitheton, non inepte conicit *ἑρσήεντα*, velut *Ξ* 348 *λωτὸς ἑ.* h. III 7 *κύπειρος ἑ.* (flores pratenses). Cf. *πίσεα ποιήεντα* *Υ* 9 *ζ* 124 h. IV 99. — *εὐώδης κρόκος ἠδ' ὑάκινθος* legitur in v. 26. Homerus adiectivum coniungit cum vocabulo *θάλαμος Γ* 382, *ἔλαιον β* 336, *κυπάρισσος ε* 64, i. e. cum arboribus, ut hic poeta cum floribus. Hi uno Iliadis loco leguntur *Ξ* 348: *κρόκον ἠδ' ὑάκινθον, πυκνὸν καὶ μαλακόν*. Cf. h. V 426 *κρόκον τ' ἀγανὸν καὶ ἀγάλλιδας ἠδ' ὑάκινθον*, ib. v. 6. 7 *κρόκον .... ὑάκινθον*, v. 428 *κρόκον* adiectivo non addito. — *ἠυγένειος* in Iliade *O* 275 all. *λῖς*, *δ* 456 *λέων*, Opp. *ταῦρος δελφίν*, Luc. Icar. 10 *ἄνδρες*, hoc loco *ὄψις* dei, qui squalidam et hirsutam gerit barbam. — *θαλέθων* (v. 26) hymni auctor dicit de floribus, quos supra commemoravimus, Homerus de arbore *ψ* 191 *θάμνος ἐλαίης θ.*, de iuvenibus *ζ* 63 *ἠίθεοι θ.*, de suibus I 467 *Ψ* 32 *σύες θαλέθοντες ἀλοιφῇ*. — *θοός* (v. 29) apud Homerum epitheton vocabulorum *ἅρμα μάστιξ βέλος δαίς νύξ;*[1]) *Π* 422 *θοός* est is, qui acriter pugnat. Celeritatem currendi exprimit adiectivis *ταχύς ὠκύς* etiam addito accusativo *πόδας* (triciens in Iliade *πόδας ὠκὺς Ἀχιλεύς*), et *Ω* 292 *ο* 526 legitur *ταχὺς ἄγγελος*, *π* 468 *ὠκὺς ἄγγελος*. Quod hymni poeta Mercurium deorum nuntium appellat, consentit cum Odyssea; namque in Iliade Iris est deorum nuntia. — *μαλακός* (vv. 9 et 22) ab Homero epitheton additur vocibus *εὐνὴ λέκτρον χιτών* (Hes. *χλαῖνα*) *κῶμα ὑάκινθος λειμών* (cf. v. 25 *ἐν μαλακῷ λειμῶνι*) *λόγοι ἔπεα θάνατος*, hoc loco *ῥεῖθρα* vocantur *μαλακά*, velut Ae. fr. 178 D. *ὕδατος μαλακοῦ προχοαί*, similiter de aqua ap. Plat. Tim. p. 59 D., 62 B. et ap. Plut. *δρόσοι μαλακαί*. — *νιφόεις* non semel ab Homero de montibus praedicatur; dicit *ὄρη νιφόεντα* saep., *Ὄλυμπος ν. Σ* 616 *Τμῶλος ν. Υ* 385, Hesiodus saepe *Ὄλυμπος ν.*, hic poeta *ν. λόφος*, de quo vide supra. — *ὀρεσκῷοι* (v. 43) in Iliade dicuntur *Φῆρες* (Centauri) *A* 268, in Odyssea *αἶγες ι* 155, ab Hesiodo *Κένταυροι* fr. 31, 5 (Schoem. XI 5) (cf. *χελώνη ὀ.* h. III 42 *νύμφαι ὀ.* h. IV 257), hoc loco *λαγωὸς ὀ.* Hoc vocabulum ter tantum in carminibus Homericis reperitur, *K* 361 *ρ* 295 adiectivo non adiecto, *X* 310 cum epitheto *πτώξ* coniunctum. — *πετρήεις* (v. 7) ab Homero praedicatur de urbibus, *B* 496 *Αὖλις* ib. 519 *Πυθώ*, de insula *δ* 844 *νῆσος π.*, hoc loco *πετρήεντα κέλευθα* extant, quae Homerus dicit *ὑγρὰ ἰχθυόεντα λαιψηρά*. — *πολυανθής* (v. 17) semel in Odyssea invenitur *ξ* 353 epitheton silvae; Eustathius ad hunc locum adnotat non esse perpetuum epitheton, sed intellegi silvam, quae *πολυανθής* sit *ἐν καιρῷ τοῦ ἀνθεῖν*; in hymno legimus *ἔαρ πολυανθές*. In Iliade et Odyssea *ἔαρ* ubique epitheto caret, Hesiodus exhibet *ἔαρ πολιόν* Opp. 490, Oppian. Cyn. I 166 saep. et Nic. Al. 590 *ἔ. φυλλοτόκον*. Proxime accedit ad *πολυανθὲς ἔαρ*, quod Mimnermus scribit: *πολυάνθεμος ὥρη ἔαρος* et Alcaeus ap. Athen. *ἔ. ἀνθεμόεν*. De genetivo temporali *ἔαρος πολυανθέος* cf. *τ* 519 *ἔαρος νέον ἱσταμένοιο*, cui loco toti simillimos esse versus 17 et 18 hymni iam supra commemoravimus. —

[1]) Ameis. ad Od. *μ* 284 *νὺξ θοός* vertit: ‚die eilende Nacht', weil sie in südlichen Ländern schnell eintritt, ohne dass ein allmählicher Uebergang durch Dämmerung und Abend stattfindet, cum Buttm. Lexil. II p. 65 interpretetur: ‚jähe Nacht', quod equis vecta intellegatur.

πολυπίδαξ (v. 30) octiens in Iliade reperitur, nusquam in Odyssea, ubique epitheton montis Idae (cf. h. IV 54 ἐν ἀκροπόλοις ὄρεσι πολυπιδάκου Ἴδης), hoc loco πολυπίδαξ Ἀρκαδίη, cui ab Homero adiectivum non additur; in hymno III 2 Ἀρκαδίη πολύμηλος appellatur, sicut hoc loco μήτηρ μήλων. Apud Homerum *B* 696 Ἴτων est μήτηρ μήλων, *I* 479 Φθίη, *Λ* 222 Θρήκη, ο 226 Πύλος, apud Hesiodum Th. 284 terra longinqua, quae ultra Oceanum sita est. — ὑγρός (v. 33) in carminibus Homeri adicitur vocibus ἔλαιον ὕδωρ κέλευθα (i. e. mare, quod nonnumquam etiam feminino ὑγρή significatur) μένος ἀνέμων, ab inferioris aetatis poetis translate usurpatur, ut hoc loco est ὑγρὸς πόθος desiderium, quod oculos lacrimis complet. Similiter scriptum invenimus ὑγρὸν δάκρυ Eur. Ion. 1369, ὑγρὸν βλέμμα Anacr. 28, 21, oculi natantes et languentes libidine et desiderio (ὑγρόφθαλμος), ὑγρόν et ὑγρὰ δέρκεσθαι, quod imprimis de Venere dicitur, cf. Boeckh. ad Pind. p. 227 sqq.

Caput VI.

Restat enumerare vocabula ea, quae alia in carminibus Homericis alia in hymno inveniuntur constructione. Sunt autem octo verba: ἀθύρω (v. 15) διελαύνω (13) διέπω (23) διοιχνέω (10) ἐννέπω (1) ἐπέρχομαι (33) παρατρέχω (16) τίθημι (40), unum adverbium: ἄμυδις (v. 3).

Versu quinto decimo legimus: (ἔκλαγεν ὁ θεὸς) δονάκων ὕπο μοῦσαν ἀθύρων ἥδυμον. Ameisius ad τ 48 (βεβήκει δαΐδων ὕπο λαμπομενάων) adnotat: „ὑπό cum genetivo bezeichnet hier die begleitende oder mitwirkende Ursache, insofern sie als Grundlage und Veranlassung einer Handlung gilt.“ Cf. locos similes *B* 334 νῆες κονάβησαν ἀυσάντων ὑπ' Ἀχαιῶν et *Δ* 276 νέφος ἐρχόμενον ὑπὸ Ζεφύροιο ἰωῆς. Bene cum hoc usu consentit, quod inferioris aetatis poetae praepositione utuntur, ubi sermo est de vocum cantu, quocum cantus nervorum tibiarumque coniungitur. Exemplis id probatur non raris, vide praeter huius hymni locum Hes. Sc. 280 αἳ δ' ὑπὸ φορμίγγων ἄναγον χορὸν ἱμερόεντα, ib. 281 νέοι κώμαζον ὑπ' αὐλοῦ, h. III 502 θεὸς δ' ὕπο (sc. κιθάρης) καλὸν ἄειδεν, h. V 278 τοὶ μὲν ὑπαὶ λιγυρῶν συρίγγων ἴεσαν ἀοιδὴν ἐξ ἁπαλῶν στομάτων, h. XXI 1 κύκνος ὑπὸ πτερύγων λίγ' ἀείδει, velut Anacreon cycnum alis cantum ciere ait, Theogn. 533. 825 ὑπ' αὐλητῆρος ἀείδειν (cf. Horat. carm. lib. IV 15, 30 Lydis remixto carmine tibiis canemus), Eurip. Bacch. 156 μέλπειν Διόνυσον ὑπὸ τυμπάνων. De accusativo, qui pendet e verbo ἀθύρω vide s. v. in cap. IV. — Praepositio ἐν praeter consuetudinem Homericam iungitur cum verbis διελαύνω διοιχνέω παρατρέχω, de quibus ea, quae in capite quarto attuli, conferas. — De διέπω sine obiecto, quod vocant, positum vide sub hoc verbo in cap. quarto. — Hymnus in Pana scriptus incipit: ἀμφί μοι Ἑρμείαο φιλὸν γόνον ἔννεπε μοῦσα, verbum ἐννέπω coniungitur cum ἀμφί praepositione,[1]) ex qua pendet accusativus. Praepositio non semel in carminibus Homericis extat, cum genetivo dativo accusativo coniuncta, sed hac constructione ubique loci notionem retinet atque etiam Iliadis locus, qui est *Σ* 339 ἀμφί σε Τρωαὶ κλαύσονται hanc significationem prae se fert, ut intellegendus sit: circumstantes te Troianae lacrimas profundent. Similiter atque in hoc hymno semel in Odyssea ἀμφί cum dativo legitur, δ 151 μεμνημένος ἀμφ' Ὀδυσῆι μυθεόμην, cum eam vim aliis locis praepositio περί cum genetivo iuncta habeat. Cum nominibus deorum saepius praeposito ἀμφί coniungitur ut in dithyramborum, ita in hymnorum initiis. Vide h. III 59 ἀείδειν

---

[1]) Baumeist. affert Schol. Aristoph. Nub. 595, ubi hunc usum esse dithyramborum legimus, tamen fortasse epicorum formula est, quae iam latet in Odysseae loco, qui est *ϑ* 267 ἀείδειν ἀμφ' Ἄρεος φιλότητος. Cf. Friedlaend. indices Homeric. duo. p. 772 et Krueg. de dial. 68, 30, 1.

ἀμφὶ Δία, VII 1 ἀμφὶ Διόνυσον μνήσομαι, XXII 1 ἀείδειν ἀμφὶ Ποσειδάωνα, XXXI 1 ἀμφὶ κούρους ἔσπετε μοῦσαι. Cf. etiam Ae. Suppl. 249 εἴρηκας ἀμφὶ κόσμον ἀψευδῆ λόγον, Pind. Pyth. II 27 φᾶμαι ἀμφὶ Κινύραν all., Eur. Troad 511 ἀμφί μοι Ἴλιον, ὦ μοῦσα, ἄεισον. — In versu 33 λίθος γὰρ πόθος ὑγρὸς ἐπελθών desideramus ex Homeri aliorumque scriptorum usu accusativum vel dativum personae e verbo ἐπελθών pendentem, cf. ἐπήλυθέ μιν ὕπνος saep. in Odyssea, τοῖσιν ἐπήλυθεν ὕπνος μ 311 all., νοῦσος ἐπήλυθέ μοι λ 200, ἔρως ἄνδρας ἐπέρχεται Soph. fr. 607 ed. Dind., ἵμερος ἐπελθὼν ὑμῖν Ae. Pers. 600, all. — Verba, quae legimus in versibus 40 et 41, τὸν δ'αἶψ' Ἑρμείης ἐριούνιος εἰς χέρα θῆκε δεξάμενος de Mercurio, qui filium tollens in manus sumpsit, offensione non carent. Primum conformatio verborum a consuetudine Homeri abhorret, qui τιθέναι ubique cum ἐν coniungit, velut Α 441 πατρὶ φίλῳ ἐν χερσὶ τίθει, ib. 585 μητρὶ φίλῃ ἐ. χ. τ., Θ 289 ἐν χερὶ θήσω saep., raro et apud inferioris demum aetatis poetas ex eo pendet εἰς, cf. Soph. Ai. 572 εἰς χεῖρα δεξιὰν θείς, tum aliena est ab usu communi sumendi notio. Hac significatione ponitur λαμβάνειν, ut Θ 116 ἐν χείρεσσι λάβ' ἡνία, Ο 229 ἐν χ. λάβ' αἰγίδα, cf. Soph. OT. 913 λαβεῖν τι ἐν χεροῖν, vel αἱρεῖν, quare Koechlyus hoc loco scribit: ἐς χέρα εἷλε.

Caput VII.

Iam de formis vocabulorum agamus.

Declinatio prima. Mercurius, pater Panis, ab Homero et Hesiodo nominatur Ἑρμείας, velut Αἰνείας Αὐγείας, nonnumquam Ἑρμῆς, Υ 72 ε 54 ω 1, ab hymni poeta Ἑρμείης et praeter hunc nominativum exhibet eodem modo formatos Ἑρμείῃ et Ἑρμείην, quae formae nisi apud inferioris aetatis poetas non reperiuntur, cf. Callim. h. Dian. 69. 143, Del. 272 saepius apud Nicandrum et Manethonem; vide Wellauer. ad Apoll. Rh. II 1145 et Buttm. gr. ampl. II p. 396. Cum non versemur in poeta Homeri aequali, non reponatur necesse est cum Franckio Ἑρμείας. Accusativum in —ην exeuntem Goettling. etiam in Hesiodi Opp. 68 pro vulgari Ἑρμείαν scribit, genetivus Ἑρμείαο (v. 1) non differt ab Homeri consuetudine. — Hermannus ad Orph. Arg. 700 formas dativi plurales I declinationis a poetis epicis usurpatas dicit in —ησι et — αις desinentes, cuius generis dativos binos invenimus in hoc hymno: πέτρῃσι (10) λιγυρῇσι (24) et νύμφαις (3) μολπαῖς (24). Dativi in —ησι exeuntes in carminibus Homericis adeo frequentantur, ut altera forma ter tantum reperiatur: Μ 284 ἀκταῖς ε 119 θεαῖς (ubi Spitzner. θεῇς praefert) χ 471 πάσαις. Hesiodus quinque dativos hoc modo formatos usurpat in Scuto, tres in Theogonia, multo plures Pindarus, in carminibus Olympicis circiter sexaginta quinque. Praeterea terminatione —αισι utitur triciens quinquiens, nullo loco —ησι, epicis usitata, cum litteram η ubicumque fugiat. At multis locis difficile est diiudicare, quibus dativi formis usi sint poetae, quod codices in scribendis his terminationibus maxime inter se discrepant.

Declinatio secunda. Genetivi singularis in — ου desinentis, quae forma frequentior est, duo offeruntur exempla: Κυλληνίου (31) λαγωοῦ (43), unum thessalici, qui vocatur, in —οιο: ὀρεσκῴοιο (43). Dativi in —οισι exeuntes secundum usum poetarum epicorum nec non Homeri inveniuntur octo, duo tantum in —οις: θεοῖς (29) ἄλλοις (44), quos Hesiodus et Pindarus saepissime exhibeant.

Declinatio tertia. In hymno quinque dativi exeunt in —σι: χοροήθεσι (3) ποσί (23) ἅπασι (29) δέρμασι (43) πᾶσι (47), unum in —σσι: ποσσί (20), unum in —εσσι: μελέεσσι (16). Terminationem —εσι Ahrens. nisi errore quodam scriptam non esse contendit. Alia igitur ratio est dativorum tertiae declinationis in hymno atque in Homeri aliorumque epicorum carminibus. Plerumque enim formis in —εσσι exeuntibus utuntur, nonnusquam in —σσι antecedente vocali, vel etiam in —

[illegible] et vocali et consona. — Nominum tertiae declinationis in —ος et —ης exeuntium tum [illegible] contractae tum solutae in carminibus Homericis usurpantur, ut metri ratio requirit. Rarissime [illegible]trahitur terminatio —εα nominativi et accusativi pluralis neque eius rei exemplum apud Homerum extat nisi unum τεύχη duobus Iliadis locis *H* 207 et *X* 322, quamquam Bekkerus collato accusativo ἄλγεα *Ω* 7 τεύχεα scribit et haec per synizesim legi vult (v. Kuehner. gr. Gr. p. 339). In hoc hymno unus accusativus hoc modo formatus invenitur: πίση[1]) v. 2, in h. III v. 95 ὄρη, h. IV 267 τεμένη, h. XXVIII 15 τεύχη. Raro etiam Pindarus hac contractione utitur, exhibet: μέλη βέλη ψεύδη (ἄστη)[2]) Accusativus χέρα, quem in versu quadragesimo legimus, reperitur apud Pindarum et apud tragicos (cf. Herod. VII 42), in carminibus Homericis ubique est χεῖρα, ut *Λ* 252; cf. Soph. El. 1120 εἰς χεῖρα λαβεῖν. In universum constat poetas metri ratione ductos tum longiore tum breviore forma uti. — Vocativus ἄναξ (v. 48) ex Homerica consuetudine scribitur, quamquam in sollemni deorum invocatione non semel ἄνα reperitur, velut Ζεῦ ἄνα bis in Iliade, semel in Odyssea, etiam in Soph. OC. v. 1485.

Adiectiva. Adiectivorum, quae ex usu poetarum vulgari duorum generum sunt, in hoc hymno extant haec: ἀμείλιχος (v. 39) ἐυπλόκαμος (34) ἠλίβατος (10) λιγύμολπος (19) μελάνυδρος (20) μηλόσκοπος (11), sed unum: ἤδυμος (16) abhorret a consuetudine Homeri et Hesiodi, quamquam etiam hi, ut poetae Attici et tragici, aliis simplicibus adiectivis communibus, ut aiunt, utuntur, cf. Krueger. de dial. § 22, 2 et Kuehner. gr. Gr. § 147 adn. 1; accedunt duo hymnorum exempla: θερμός h. III 110, βίαιος h. VIII 17. — Hic ponantur etiam duo adiectivorum accusativi δικέρωτα (v. 2 et 37) ἠδυγέλωτα (37), quibus similes in carminibus Homeri non leguntur. Unum exhibet vocis cum κέρας copulatae accusativum: ὑψίκερων *κ* 158, qui declinationis secundae Atticae, quae vocatur, terminationem prae se fert. Alia eius rei exempla vide apud Krueger. gr. Gr. I p. 417 adn. 1.

Pronomina. Praeter usum Homericum σφίν[3]) legimus (v. 19) pro αὐτῷ, de quo vide Hermannum ad Orph. p. 792. 797. Eadem forma extat in h. XXX 9, in Aesch. Pers. 754, Soph. OC. 1490, Lycophr. 1242 (σφί). In Odyssea *ο* 524 et in Hesiodi Sc. 114 σφίν[4]) numeri pluralis forma est. Matthiae, quem vide in gr. Gr. § 147, 6 de huius formae apud inferioris aetatis poetas usu, etiam addit unum Pindari locum, Pyth. IX 206, sed Peter. de dial. Pind. pag. 51 iure id fieri negat. Callimachus in h. Iov. 12 φίν pro αὐτῷ utitur, forma ex dialecto laconica sumpta, de qua vide Meinek. diatr. p. 124. Ab tragicis raro scribitur σφίν pro dativo singul. αὐτῷ, saepius σφέ pro accusativo αὐτόν.

Verbum. Augmentum, quod vocatur, maxima libertate in carminibus Homericis ponitur vel neglegitur recteque Merkel. in praefat. ad Apoll. Rh. pag. 107 dicit: ‚de augmento verborum molestissima est et fortassis inextricabilis quaestio.' Tamen constat Homerum in ea re saepe versus et metri ratione duci; cf. Curt. verb. Gr. pag. 135. Legimus augmento syllabico instructas in hymno sex formas: διέδραμε (v. 12) ἔκλαγε (14) ἐνόμευε (32) ἐτέλεσσε (35) ἔτερφθεν (45) ἔτερψε (47), augmento neglecto octo verba: δεῖσε (39) δεῖξε (45) καλέεσκον (47) κίε (42) λάθε (sive θάλε) (33) λίπε (38)

---

[1]) Baumeisterus hanc formam retinet cum Hermanno contra Ilgenium, quod melius conveniat poetae recentiori. Cf. Ruhnken. ad h. IV 99.

[2]) Vide Peter. diss. inaug. de dialecto Pindari Hal. Sax. 1866 pag. 38.

[3]) Koechlyus contra Hermannum contendit σφίν esse numerum pluralem, qui pertineat ad Panem et lusciniam amoebaeo quasi carmine inter se certantes, sed nescio quo iure, neque enim poeta lusciniam simul cum deo canere dicit, sed hanc cum illa comparat et quo magis deum praedicet et celebret, eum vel lusciniam cantu suavi et dulci superare contendit. ‚Cum eo, tam suaviter canente', poeta ait, nymphae migrant, canentes ad eius tibiam.

[4]) Buttmann. Lexil. I 60 hanc formam utroque loco numeri pluralis esse indicat, sed ib. II 238 σφίν in Odyssea [illegible] cum Vossio ad omnes proceros, in Hesiodi loco ad Martem et Cycnum referendum esse censet.

τέκε (35) φεῦγε (38). Itaque usum augmenti syllabici non minus mobilem esse in hymno apparet quam in Iliade et Odyssea. Neque certior est usus augmenti temporalis, praesertim cum libri manu scripti plerumque varias praebeant lectiones. Augmentum assumunt formae duae: διήλασε (13) κάθιζε (44), tres neglegunt: ἔννεπον (29) ἐξίκετο (31) ἴδεν (39).

Iam enumeremus singulas verborum formas, quarum usu hymni auctor recedit a consuetudine Homerica.

Verbum λίτομαι (v. 48) primum hoc loco invenitur. Versum eundem in h. XVI v. 5. legimus, verbum idem in Aristoph. Thesm 113, Anthol. 5, 151. 165, non semel in hymnis Orph., apud Nonn. (vide Lehrs. quaestt. epp. p. 330). Homerus utitur praesenti forma vulgari λίσσομαι, semel infinitivo aoristi secundi λιτέσθαι *Π* 47, semel optativo eiusdem temporis ξ 406. Cf. Krueger. gr. Gr. I 861. Similem radicem in —τ exeuntem duo verba Homerica prae se ferunt: ἄντομαι et πέτομαι (v. Curt. verb. Gr. pag. 206). — θάλε (33)[1]) ex lectione codicum hoc uno hymni loco extat (v. Kuehner. gr. Gr. pag. 831). Praesens huius verbi in carminibus Homericis nondum invenitur, sed primum in hymno V 402, tum in Hes. Opp. 171. 234 all., Homero nulla forma usitata nisi participium perfecti τεθαλυῖα. — ἔκλαγον primum hoc loco reperitur, tum apud Theocrit. 17, 71 et apud inferioris aetatis poetas; cf. ἀνέκλαγον Eurip. Iph. A. 1062 (vide Buttm. gr. ampl. II pag. 219). Homerus utitur praesenti, aoristo primo, indicativo perfecti, duobus perfecti participiis κεκληγώς, quae forma ne ab Hesiodo quidem aliena est, et κεκληγῶτ (v. Spitzner. ad *M* 125). — Forma ἐτερφθεν, quae non invenitur nisi hoc loco, non abhorret a frequenti usu Homeri, Hesiodi, nonnunquam etiam Atticorum. Verbi τέρπειν aoristus primus passivi τάρφθεν in Odyssea ζ 99 extat. Cf. Kuehner. gr. Gr. I § 343 pag. 916. — Formae ὑμνεῦσι (v. 27) similes tres tantum suppeditat Homerus: νεικεῦσι *Υ* 254, οἰχνεῦσι γ 322, εἰσοιχνεῦσι ι 120 (εἰσοιχνεῦσαν ζ 157), eandem formam invenimus h. I 190 h. XXVII 19 (Hes. Th. 11 saep. ὑμνεῦσαι). — Participium verbi εἰμί in carminibus Homeri et caeterorum epicorum ubique est ἐών, in hoc hymno v. 32 ὤν. — Baumeister. in versu duodevicesimo scribit ἵει, de quo vide ea, quae in cap. tertio adnotavi. Forma abhorret a consuetudine Homeri, qui exhibet ἵησι *Γ* 12 all., etiam Hes. Th. 806, sed verba cum ἵημι copulata tum hanc tum illam terminationem prae se ferunt: προίει *Β* 752 μεθίει κ 121, ἀνίησι δ 568 ἐνίησι μ 65. Cf. Kuehner. gr. Gr. § 291.

Caput VIII.

Postremo proferantur, quae notanda sunt de re metrica.

De singulorum pedum forma. Primus versus pes saepissime dactylus est in carminibus Homericis, quamvis Homerus et poetae Graeci plerique spondeum eo loco praeferre soleant (cf. Bekker. quaestt. Hom. 1 p. 130). In Iliadis *Α* versus 389 dactylo incohante leguntur, 222 spondeo, in *Β* 501 et 376, in *Γ* 316 et 143, in *Δ* 324 et 220, in hoc hymno incipientes praevalent dactyli, nam versuum 49 dactylum in prima sede exhibent 34, spondeum 15. Ludwich. quaestt. hexametr. in Fleckeis. annal. philol. 1874 p. 247 contendit hunc Homeri amorem etiam ad secundum versus pedem pertinere et numerat in *Α* spondeos secundos 240, 371 dactylos, in Odysseae α spondeos 187, dactylos 257 in secunda sede. Magis inter se differunt et abhorrent ab Homerico usu numeri dactylorum et spon-

[1]) Lobeck. Paral. pag. 557 conicit κέλε, Ruhnken. λάθε ex analogia Homerica, quod Baumeisterus recepit. Math. hoc retinet et participio ἐπελθών in fine versus in ὑπελθών mutato confert locum similem Soph. OR. 386: Κρέων λάθρα μ' ὑπελθὼν ἐκβαλεῖν ἱμείρεται.

[...]orum secundi pedis in hoc hymno, nam 14 spondei secundi inveniuntur, 35 dactyli. In tertio pede septiens spondei extant, in quarto deciens, ter praecedentibus tribus dactylis (vv. 31. 43. 46). In primo et secundo pede ter (vv. 6. 28. 40) spondei inveniuntur, nusquam tres spondei incipientes, spondeus primus et tertius semel (v. 3), primus et secundus quater, tertius et quartus bis (vv. 4 et 7), secundus et quartus semel (v. 49). Versus, quorum quattuor priores pedes spondei sunt, ne in Homericis quidem carminibus frequentes, in hoc hymno non leguntur neque versus quinto spondeo instructi, quorum Homerus unum exhibet ex viginti (cf. Bekker quaestt. Hom. I p. 147). Cum poetae Alexandrini hos versus adamarent (Ludwich. de hexam. poet. Gr. spond. pag. 8 eos unum ex duodeviginti praebere dicit), ad finem antiquitatis vitabantur, ut Nonnus ex compluribus milibus versuum ne unum quidem sic formavit. Versus dactylicos meros reperimus 120 inter Iliadis *A* versus 611, i. e. quintam fere partem, in hoc hymno 14 inter versus 49, i. e. tertiam fere partem. Hos dactylorum et spondeorum numeros si reputamus, apparet dactylos in versibus hexametris iam antiquissimis, qui nobis traditi sunt, praestare spondeis,[1]) sed frequentius frequentiusque usurpari usque ad Quintum Smyrnaeum, qui in libro primo 761 spondeos, 3389 dactylos praebet, in libro octavo 434 spondeos, 2086 dactylos. Similes fere sunt huius hymni numeri, inter pedes 245 dactyli reperiuntur 198, spondei 47. Propendentibus dactylis efficitur facilitas quaedam atque elegantia versus, quae proxime abest a gravi illo Homericae poesis genere, sed optime quadrat in inferioris aetatis carmen, imprimis in celebrationem Panis dei, quem venari saltare canere solere cum nymphis comitibus narrat poeta. — Bekker. quaestt. Hom. I p. 148 in compluribus rhapsodiis Homericis syllabas vocabulorum, quae in fine versus collocantur, numerat et reperit pleraque esse disyllaba et trisyllaba. Velut in Odysseae *ι* vocabula 6 monosyllaba sunt in extrema versus sede, 216 disyllaba, 231 trisyllaba, 84 quattuor, 28 quinque, 2 tantum sex syllabarum. Hymni poeta in fine versuum praebet 16 vocabula disyllaba, 19 trisyllaba, 10 quae ex quattuor, 4 quae ex quinque syllabis constant. Cum Homerus in sexto versus pede syllabam longam ponere soleat, versuum huius hymni 21 in longam, 28 in brevem syllabam exeunt.

De caesuris. Omnes hymni versus instructi sunt caesura pedis tertii, in versibus viginti uno *πενθημιμερής*, quae vocatur, extat, in duodetriginta caesura *κατὰ τρίτον τροχαῖον*, quae versum facilem reddit et mollem. Perpaucos tantum Iliadis et Odysseae versus alterutra tertii pedis caesura instructos non esse, Bekker. quaestt. Hom. I p. 143 et Spitzner. de vers. her. p. 9 docent. Controversia quidem de numeris utriusque caesurae in carminibus Homericis repertis nondum diiudicata est. Cum Rossbach. caesuram post arsim pedis tertii positam frequentiorem esse contendat, Hoffmann. in quaestionibus Homericis id vindicat caesurae post primam thesim pedis tertii factae, Bekker. et Bergk. similes fere numeros earum esse dicunt. Utcunque se habet, constat id, caesuram tertii pedis trochaicam ab inferioris aetatis poetis magis magisque frequentari neque ulla nisi hac Nonnum uti. Caesura *ἑφθημιμερής*, quae vocatur, in decem versibus invenitur, in tribus simul cum caesura post secundam versus arsim facta. Versus 19 praebent caesuram bucolicam, quae etiam in Iliade et Odyssea non rara est (vide Bekker. quaestt. Hom. I p. 144). Caesurae *κατὰ τέταρτον τροχαῖον*, ut aiunt, perpauca exempla et in Homeri et in inferioris aetatis poetarum carminibus reperiuntur (cf. Rossbach. metr. III § 15), nullum in hoc hymno, cum Nonnus ea saepissime utatur. Versus hymni primus caesuram exhibet in fine pedis quinti, versus quattuor in fine pedis primi.

De interpunctione. Versum Homericum non in unamquamque sedem interpunctionem recipere et veteres intellexerunt et nostrates eximia diligentia exposuerunt (vide Schnorr. de colloc.

---

[1]) De numeris pedum dactylicorum et spondeorum in hexametris Homeri, Hesiodi, hymnorum, Callimachi, Apollonii, Dionysii Periegetis, Quinti Smyrnaei, Nonni usurpatorum cf. Ludwich. quaestt. hexam. p. 237.

verb. Hom. pag. 51). Legitimus interpunctionum locus caesurae versuum sunt, saepissime igitur extant in pede tertio et post pedem quartum, velut tredecim huius hymni versus in pede tertio interpunguntur, sex post arsim secundam, quinque in fine versus primi et, quod rarissimum est neque semel integris in rhapsodiis Homericis invenitur[1]) (cf. schol. Harles. ad β 77), unum in fine pedis quinti. Sed mora haec ante vocativum *μοῦσα* non ita gravis est et poetae inferioris aetatis epici et epigrammatici liberius hac interpunctione utuntur. Etiam Aristophanes complura exempla exhibet, ut Equ. 1062.

De positione. Exemplum correptionis, quae vocatur, Atticae unum abhorret ab usu Homerico. In versu vicesimo legimus *φοιτῶσαι πυκνὰ ποσσί*[2]) brevi *υ* ante litteras *κν*. Hesiodus similiter syllabam brevem retinet sequentibus *κν* in vocabulo *ἀκροκνέφαιος* Opp. 567 et sequentibus *πν* Th. 319 *ἔτικτε πνέουσα*. Correptionem litterae *υ* vocabuli *πυκνά* etiam apud Quintum Smyrnaeum invenimus, qui praeterea syllabas non producit ante *κν* vocabulorum *κύκνος τέκνα κνέφας κνήμη* (vide Hermann. ad Orph. pag. 759 sqq. et Ludwich. quaestt. hexam. p. 237).

De digammate. Complura huius hymni vocabula digammate carent, quo instructa sunt in Iliade et Odyssea, quamquam Homericis iam temporibus eius litterae usus certus non erat. In versu 14 *ἕσπερος* cum praecedente *δ'* positionem non efficit, ut apud Pindarum Ol. X 73 *ἐν δ'ἕσπερον* (Isthm. VIII 44 in vocibus *δὲ ἑσπέρας* digamma assumitur), sed in carminibus Homericis digamma probatur locis, qui sunt *α* 422 et *δ* 786: *μένον δ'ἐπὶ ἕσπερον ἐλθεῖν* (vide Curt. etym. Gr. p. 352). Indicium digammatis in voce *ἔαρ* (v. 17) omissi est elisio ante eam facta: *ὄρνις ἤτ' ἔαρος κτλ.*, etsi eiecta littera *ϝ'* non difficulter restitui potest. Apud Homerum digamma vocis *ἔαρ* servatur *Ζ* 148 et *τ* 519 (cf. Bekker. quaestt. Hom. I p. 172), apud Hesiodum ter retinetur, semel (Opp. 490 *μήτ' ἔαρ γιγνόμενον*) neglegitur. — In fine versus 37 legitur: *πολύκροτον ἡδυγέλωτα*, positione non facta, cum in carminibus Homericis voces a radice *Ἁδ* ductae, ut *ἁνδάνω ἡδύς ἥδυμος* all. (cf. Curt. etym. Gr. 215 sqq.) digammatis tenacissimae sint (v. Hoffmann. quaestt. Hom. II p. 18). — Restat, ut addam quartum digammatis praeter Homericam consuetudinem neglecti exemplum, pronomen *ἑός* in versu 45: *δεῖξε δὲ κοῦρον ἑόν*. Similiter Pindarus semel digamma in hoc pronomine neglegit OC. II 86: *καὶ ὃν πατέρα*, quo loco *καί* particula correpta est.

---

[1]) Hoffmann. in quaestt. Hom. I pag. 30 apud Homerum interpunctionem non inveniri in pede quinto et sexto neque post trochaeum versus quarti contendit.

[2]) Non inepte Barnesius *πύκα* scribit pro *πυκνά*, sed Baumeister. codicum lectionem retinet eumque secuti Hermann. et Ilgen.

END OF
TITLE